

morati, die tertia discessere.

Et quoniam adhuc bellorum suspiciones vigeant, Ladislao ab armis non cessante, rebusque cum Bertuldo non adhuc bene compositis (eius etenim lis sub Johanne Pontifice, Florentinisque pendebat) Senenses ne hostium ad insultus, infidiasque imparati essent, cum Angelus Pergulensis militum suorum Ductor discessisset, Franciscum Cotignolum, Franciscinum Mirandulensem, Aquila, ac Sanctæ Floræ Comites, valida cum Equitum manu traduxere. Quilibet siquidem eorum equites ducentos armaturæ gravis ducebat; mœniarum Urbis pluribus in locis, aut non absoluta, aut vetustate collabantia, instauravit; ac propterea pecuniam in publici Gymnastii stipendium erogari solitam, eo bellorum causâ suspensam, illorum impendio applicuerunt: cui operi Johannem Latinum, & Nicolauum Bulgarinum præfecerunt.

At quia pecuniæ in bellicis præsertim rebus nervi sunt Reipublicæ, ne qua in his administrandis fraus expilatiove posset oriri, legem tulere Senenses, ut per Cives viginti quatuor vœtigalia administrarentur, qui forte quotannis ex arcula ducerentur, præstituta prius ea summâ, quæ ab eis per singulos annos solvi deberet; quod si trascenderetur, ipsi Civibus, quod superesset, totum acquireretur; sin verò ex ea deceret, stipendium annuarium eisdem pro labore persolveretur. Exinde ne in superfluo sumtus erogarentur, arces pleraque custoditum non necessariis clausurunt, atque milites superfluos quamplures dimiserunt.

A Florentinis, cum inter Johannem Pontificem, & Ladislauum Regem bellum vigeret, Oratores Romam missi sunt, qui Senis transeuntes, ut & Senenses Oratores ad eandem rem mitterent, effecerunt; qui Georgium Thomasiu Legum Doctorem, & Angelum Coronam cum his, & ob eandem causam Nicolaccium Petronium Florentiam miserunt; eodemque tempore Nuncius à Johanne Pontifice Senas venit, ob pacis cum Ladislao Rege confirmationem.

Nannes interea Piccolomineus, qui paulò ante in prælio à Paulo Ursino captus, Cellarum Oppidum, quod possidebat, amiserat, quod postmodum Coechus receperat, à Paulo dimissus, Cecholinoque Perusino adjunctus, Brachium Montonium Perusinum agrum unâ cum exulibus invadentem, devastantemque fudit, atque fugavit.

Sancti Casciani Oppidum ex Monaldi Urbeveterani ipsius Domini testamento Senenses obtinuerunt, Oppidanis in eam rem penitus consentientibus, ac pacta firmantibus Mense Junio 1412. Nuntiatum est interea Sigismundum Hungariæ Regem nuper ad Imperium assumptum, in Italiam adventare, Coronam Imperii more solito suscepturum. Quamobrem Senenses Oratores illi obviam ituros, honoris gratiâ, elegerunt; at ille à Venetis prohibitus, ulterius progredi non est ausus.

Anni sequentis initio, Ladislao ab armis non cessante, ac post occupatam Umbriam, Perusum usque adventantem, etsi cum eo pax vigeat, ingens timor Senensium animos incessit. Quamobrem novem Civium Magistratum, quem Balianum vocant, bello præfuturum creavere, militesque quamplures conduxerunt. Rex verò pacem cum Senensibus,

A Florentinisque appetens, quo liberiùs contra Johannem Pontificem progredere, suis edixit, ne quis ipsorum agris damnum ullum inferret. At illi, quibus Johanni opem ferre in animo statutum erat, cum ipso consentire recufabant. Johannes verò Florentiam priùs, ac deinde Bononiam profecturus cum Cardinalibus undecim, rebus ut suis consulere, Junio Mense Senas accessit; cumque honorificè satis publicè exceptus esset, privatim tamen haud satis observabatur, cum non verus Pontifex à Populo, sed Schismaticus putaretur. Sed ut Florentinis illi amicissimam rem gratam facerent, honore publico sunt prosequuti, qui etiam Oratores illi honoris gratiâ Senas usque obviam miserunt, qui eum Florentiam comitarentur. Belli timor, Ladislao tam prope commorante, augebatur in dies, præsertim cum Orator ab eo Senas missus; honorificèque susceptus, nocte insequenti, hospite infalutato, discessisset, nec, revocatus, umquam regredi in Urbem voluisset. Quapropter Senenses Petrum Peccium, Aringheriumque Nicolai Oratores ad Florentinos miserunt, fœdus cum his inituros.

B Cum autem novus Balia Magistratus bello præfuturus creandus esset, etsi belli timor, ut diximus, invalescebat, oritur inter Cives dissensio: qua de causa quidam Reipublicæ administratione privantur; tandemque Magistratus creatur Octobri Mense; qui, ut periculis internis externisque prospiceret, arma per Urbem disquisivit, suspectisque Civibus adimens, tradidit iis, qui non haberent. Nobiles deinde omnes, ac Duodenaria factionis Viros advocantes, qui Arces Oppidanicas in agro Senensi possiderent, justit ex Urbe ne prodirent, eas verò aliis in custodiam tradidit.

C Sedecim deinde ex Nobilibus, totidemque ex Duodenaria factione per agros in diversis locis relegarunt, bello durante, ibidem permansuros; utque bello impensas necessarias subministrarent, pecunias ex Civibus collegerunt, munitionesque, & aggeres circa Urbis mœnia pluribus in locis construxerunt, militesque alios plures conduxerunt, eduliaque omnia ex agris in Urbem, munitaque loca comportari edixerunt. Nihilominus Florentini, sive quòd Senensium fidem suspectam haberent, sive quòd tantam belli molem eos non laturus arbitrarentur, Oratores suos Senas miserunt, qui Cives in fide retinerent. Post maximas tandem bellorum suspiciones, pax inter Florentinos, Consideratosque cum Ladislao componitur, ex qua Johannes Pontifex, Urbinique Comes excluduntur, Petro Peccio, ac Bartholomæo Martio Oratoribus pro Republica curantibus. Qua nunciata, maxima in Civitate lætitiæ signa ostensa sunt; revocati omnes, qui per agrum relegati fuerant, ac dimissi milites Junio Mense. Pace tandem composita,

D paulò post nuncium missi ad Senenses, qui Oratores ad se mitti peteret, nescio quid secum tractaturos. Missi sunt Carolus Angelini Zenodochii Præfectus, Cecchus Petrucci, & Johannes Clancianus, qui ubi Perusiam pervenerunt, ipsum gravi febre correptum invenere; à qua cum in dies gravaretur, Romam priùs, deinde Neapolim navi perlatus, diem clausit extremum pridie nonas Augusti anni 1414. veneno à quodam

Me-